

8

Extracta ex Commentarijs manuscriptis R. P. D.
Fagnani super Decretalibus in cap. in præ-
sentia de Probarionibus.

Queritur, an Societas Iesu, eiusque Domus, Collegia
& persona sint verè, & propriè ordinis
Mendicantium.



EXTRA controuersiam est, Societatem profes-
sam, & illius domus ex sui natura, non autem
ex indulto, seu priuilegio esse mendicantes. Quã-
doquidem ex Regula fundamentali ad litteram
infecta in Constitutione Pauli Tertij 25. incipien-
Regimini. § 10. & paulo vberius repetita in
Constitutione 9. Iulij Tertij quæ incipit, Expo-
scit. § 11. cautum est vt infra, videlicet: Sic
uoueant singuli, & vniuersi perpetuum pauper-
tatem, vt non solum priuatim, sed neque etiam communiter pos-
sint professi, vel vlla eorum domus, aut ecclesia ad aliquos prouẽ-
tus, redditus, possessiones, sed nec ad vlla bona stabilia, præter etiã
quæ opportuna erunt ad vsum proprium, & habitationem, retinen-
da ius aliquod ciuile acquirere, rebus sibi ex charitate donatis ad ne-
cessarium vitæ vsum contenti, & in Constitutionibus Societatis,
par. 6. cap. 2. num. 2. amplius additur, vt in domibus, vel ecclesijs re-
ditus nulli, ne Sacriliæ quidem, aut fabricæ applicati haberi possi-
sint, sed neque vlla alia ratione, sed in solo Deo fiducia constitu-
tur. Quæ verba conuincunt Societatem ipsam in artificissima pau-
peritate fundatam esse: Id quod affirmat *Menocho, conf. 1014. n. 25.*
Hieronymus Gabr. conf. 28. num. 1. & 2. lib. 1. & complures alij ex recen-
tioribus. Et quamuis Societas professæ omnimodam habeat admi-
nistrationem reddituum Collegiorum: tamen cum illos in proprios
vsum conuertere nequeat, vt disponitur in formulis primæ Insti-
tuti, vt supra inserti in præcitatæ Constitutionibus Pauli Tertij, &
Iulij Tertij vtrouique in §. 11. adeo vt nec Præpositus generalis
possit super hoc dispensare, vt in Constitutionibus Societatis *par. 4.*
cap. 2. num. 5. huiusmodi superintendentia, & administratio mendi-
citantem non excludit, vt in hac specie obseruat *Hieronymus Gabr. d.*
conf. 28. num. 2. vers. Nec repugnat. Quare cum Societas professæ ex

A

regula

regula restitibus caret, eique vi sum prebere solent incerta mendicantia: habitari non potest, quin vere, & naturaliter illi conveniat diffinitio mendicantia, quae dicitur in *cap. 20. c. 1. Confirmatus. de relig. domib. lib. 6.* v. infra laius explicabitur, & consequenter hac in parte Declaratoria Pij Quinti, de qua infra in 6. fundamento, in alium sensum detorqueri non potest vt ex pluribus deducit, *Rota. auzoni. Baratto decis. 25. num. 1. q. 1. cum statueret eadem Societas ad huc in puritate regula perseveret, quippe quae in Domibus Professorum, vel eorum ecclesiis cessit iuri suo, & renunciatu concessioni Concilij Tridentini, de qua in *cap. 3. seß. 25. de regular.* vt ex Patribus Societatis referunt *Molin. de Iust. & Iur. tract. 2. dispus. 139. c. 1. et ibid. Arch. ad Praxiam. 2. lib. c. 1. §. 8. num. 11.**

Idemque per omnia dicendum est de Coadiutoribus formatis. Tum quia vt disponitur in Constitutionibus Societatis *par. 6. cap. 2. nu. 4.* Coadiutores quamdiu in Domibus erunt, quae ex elemosynis vivunt, & ipsi eodem modo vivunt, unde de illis proprie convenit mendicantium diffinitio, de qua in d. S. Confirmatos. Tum quia Declaratoria Pij Quinti hos quoque Coadiutores complectitur

Itaque punctus concertationis restringitur ad Collegia, & Scholasticos in eis degentes. Ratio diffinitiva est, quia ex primaevo instituto, vt praefertur, inserto in praefatis Bullis Pauli S. I. & Iulij S. X. Societas potest habere in Universitatibus Collegia, scilicet Collegia habentia redditus, Censur, & possessiones, vobis, & necessitati- que Studentium applicandas. Ergo Collegia, & Studentes non sunt Mendicantes, quia vt diffinitur in d. *cap. 20. c. 1. S. Confirmatos. de relig. domib. lib. 6.* Mendicantes sunt quibus ad congruam sustentationem redditus, aut possessiones habere prohibita, siue regula quae libet interdicitur, ipsi per quantum publicum tribuere vi sum solent iure mendicantia, vt nota gloss. 2. in *cap. un. de excessi. Prax. lib. 6. seß. 2. cap. 1. Arguendam. in ver. mendicantium. de elect. eodem libro, & Doct. passim. Vel certe dicuntur Mendicantes qui ex regula, vel Constitutionibus non possunt habere propriam vitam incommuni secundum *Calderin. cons. 17. de Regular. c. 1. expressum. in Constitutio. 20. Bonifacii Octavi inferiori adducenda.* habent enim pro dote mendicantiam, ut inquit *Gemin. cons. 40. nu. 70. vers. Hoc idem probat.* Cum igitur Collegijs, & eorum Scholasticis non competat diffinitio mendicantium, utique nec diffinitum. S. 1. 27. q. 2. *Calder. dicto. cons. 17.* ubi hoc Argumento consuluit ordinem seniorum non esse ex mendicantibus, haec 2. signa. quae quilibet habet. 2. 1. 1. 1. 1. 1.*

Nec tollit obiectionem, quod omnimoda gubernatio, & superintendencia pater dicitur Collegia sit penes Praepositum, vel Societatem. Quo-

nam hoc non impedit quin dominium reddituum, & possessionum
 remaneat penes Collegia, cum totum, & integrum insimere de-
 beant in Scholarium necessitates, & nihil profus in usus proprios
 conuerrere valeant, vt in predictis Constitutionibus d. S. 11, & 10.
 Atque ita Praepositus Generalis est nudus, & simplex minister, non
 Dominus, ad text. in l. si quis Thio, & ibi Bald. num. 2. & 3. & Doctores
 ff. de leg. 2. Menoch. cons. 66. num. 16. vers. Secundo. Exemplo Tutoris,
 qui bonorum pupillarum omnimodam habet administrationem,
 dominio tamen penes pupillum remanente, vt l. obligari, ff. de au-
 thor. tut. cum multis similibus. Ideoque in litteris Pij Quarti incipien-
 Exponi nobis, Domus Probationis, & Collegia Societatis dicun-
 tur habere, vel posse habere bona stabilia iuxta regularia illius in-
 stituta, habere enim proprie quis dicitur lute dominij L. habere ff. de
 verb. signific. c. nolo. S. nulli liceat in Societate nostra & cap. non dicitis
 12. q. 1. Baratt. d. decis. 245. num. 7.

Et augetur difficultas, quia Scholastici in Societate nedum sunt capa-
 ces bonorum in communem, sed etiam in particularium. Nam vt habe-
 tur in Constitutionibus Societatis par. 6. cap. 2. num. 11. in declara-
 tione. H. post votum paupertatis possunt retinere dominium bonoru
 suorum conscio, & approbante Superiore. Quod videtur repu-
 gnare non solum mendicanti, sed etiam paupertati religiosa, vt in
 d. S. nulli liceat & expressus in cap. Cum ad Monasterium. S. Nec abso-
 luer Abb. de Statu Mon. de bonum.

Ceterum et si praemissa primo intuitu valde urgere videantur, exi-
 stimo tamen pro veritate omnino tenendum esse Collegia,
 & Scholasticos esse vere, & proprie ordinis Mendicantium ex si-
 mamentis infra scriptis. Et primo vna, & eadem religio non potest
 simul esse diuersorum ordinum. clem. 1. & ibi Cardin. in 10. vers. Et
 pro hoc ratio. de elec. cap. Recolentes S. Ceterum de Schiv. Monach. c. 10.
 quin Religio non esset vna, sed multiplex. cap. loquitur de Monach. 24
 q. 1. sed Scholastici vna cum Coadiutoribus formati, & solum uni-
 ter professi sunt vna, & eadem religio, & Societas, vt patet in eius
 Constitutionibus par. 1. c. 1. nu. 1. vbi sic legitur. Scholastici appro-
 bati etiam modo quodam interiore, quam admissi ad probationem,
 in corpus Societatis cooptantur. & ibi in declarationibus lict. A
 Societatis nomen dicitur continere cum professis, & Coadiutori-
 bus formati etiam Scholasticos approbatos. & immediate subiun-
 gitur: ex his enim tribus partibus Societatis Corpus constat. Ergo
 Scholastici non possunt esse alterius ordinis, quam fiat Coadiuv-
 tores formati, & Professus, de quibus non controuersitur, quin sint
 ordinis Mendicantium.

Et confirmatur, quia ordines Mendicantes à non mendicantibus differunt specie. *Clem. ut professores. in sibi gloss. in ver. Quoslibet de regular. cap. unic. in princ. ibi, diuersorum ordinum, precipue mendicantium, de relig. domib. lib. 6. gloss. in cap. Confraternitatem in ver. Religionibus, de Regular. cod. lib. & admittunt scribentes omnes hic. Mendicantes enim ad vitam actiuam, Monastici uero, & non Mendicantes ad vitam contemplatiuam sunt instituti, & Religionum diuersitas sumitur ex fine, ad quem ordinantur, ut docet S. Thom. in 2. 2. q. 188. art. 1. & 2. & Io. Andr. in c. fard. num. 4. de regular. Ergo fieri non potest ut vna, & eadem religio, & Societas constet ex ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, esset enim Corpus ex diuersis naturis, & monstruosum inftar Chimera, & Hyppocentauri, quæ licet sint similia entibus, tamen non sunt entia, ut ait Bald. cons. 9. in fin. nu. 8. vers. Et ad clariorẽ. lib. 1. Nec talis dici posset Societas, sed potius dissocietas, cum rationi repugnet, ut homines disparis professionis, vel ordinis simul socientur, ut legitur in dicta Clem. 1. de chæ. Et quauis in Societate quidam mendicent, ut professi, & Coadiutores; quidam uero studijs vacantes actu non mendicent; hinc tamen diuersitas ordinis non inducitur; nam sicut in corpore humano est membrorum uarietas per diuersa officia, quia non omnia membra eundem actum habent, & tamen idem est Corpus, ut cap. singula. & ostendit in corpore Societatis quamuis diuersa sint Scholasticorum, & professorum ministeria: vnum tamen est corpus, vna Societas mendicans, & vnus ordo, ad quod facit optime d. c. loquitur. 24. q. 1. & exiranag. vnam sanctam de maiorib. & Obedien. & probatur clarissime in Constitutione Secunda Bonifacij, O. Q. uii, quæ infra adducemus in responsione ad obiecta.*

Secundo ad dignoscendum cuius natura sit Vniuersitas, vel Societas, inspicere debet natura maioris partis. ideoque Collegium, in quo simul sunt Clerici, & Laici, si maior pars sit laicorum, censetur laicale, & est conuersio, quia maior pars trahit ad se totum. l. quod maior. ff. ad Municip. lib. & tenet Bar. in l. fin. num. 15. ff. de Colleg. illicit. Abb. in c. ex litteris. num. 3. de Consue. Conarr. practic. q. c. 36. num. 5. vers. Tertio. Similiter Vniuersitas mixta assumit naturam à potentiori seu digniori. cap. quod in dubijs de Consec. eccl. vel Alar. Abb. per illam texum in cap. De iure. in primo notat. vers. Item ex hoc. de Inreputatu. Unde videmus Collegium, quod mixtum est Doctorum, Iuris Canonici, & Iuris Ciuili, iudicari Collegium Canonistarum, ut per Abb. hoc primò citato. Et Lamberti. in tract. de Iure patr. lib. 1. par. 2. in 4. quest. art. 3. nu. 2. Sed in Vniuersitate Societatis I. E. S. V. duæ ex tribus partibus proculdubio sunt Mendicantes, nempe

professi,

professi, & Coadiutores formati, ut superius ostensum est; Item
hæc quæ tertia partes sunt absque dubio potentiores, & digniores,
quia Scholastici sunt tertiae Classis, Coadiutores secunda, Pro-
fessi prima, ut patet in eius Constitutionibus *cap. 1. ex am. num. 7.*
& professi sunt in Societate præcipui, & ipsi tantum habent votum
actiuum, & passiuum in electione Præpositi Generalis, ut *par. 5.*
cap. 1. Litt. A. Ergo tota hæc Vniuersitas, & Societas cum suis
Professis, Coadiutoribus, & Scholasticis censetur ordinis Men-
dicantium, cum præsertim hoc casu sit etiam fauorabilis, ut ma-
ior, & dignior pars trahat, & non trahatur. *Pur. decis. 157. lib. 3.*

Tertio Caput Societatis, idest Præpositus Generalis, est verè, &
non sicè mendicans, ut explicitè declarauit Pius Quintus in Cõ-
stitutione de qua infra in 6. fundamento in illis verbis: Illam, sci-
licet Societatem, & illius Præpositum &c. verè, & non sicè Men-
dicantes fuisse, esse, & fore. Ergo non solum professi, & Coadiu-
tores, sed etiam Scholastici eidem Capiti subiecti sunt naturaliter
mendicantes, quia membra sunt illius nature, cuius est Caput, *l.*
cum in diuersis ff. de relig. & sumpt. funer. c. cum non liceat de prescip.
Cagnol. in proem. digestorum num. 22. & in terminis Gabr. d. cons. 28.
num. 7. & 8. lib. 1. Alioquin Præpositus Generalis non esset ca-
put ordinis, sed caput ordinis, & Scholastici, & Professi cum
Coadiutoribus essent duo Corpora sub vno Capite, quasi mon-
strum, *d. Extrauag. Vnam sanctam. vers. Igitur. de maior. & obed.*
cap. quoniam de offic. ordinar.

Quarto si Collegia Societatis essent ordinis non mendicantium, non
liceret Professis, & Coadiutoribus ad illa transire, ut ibi officia,
& administrationes assumerent. Hoc enim esset contra Conciliũ
Viennense in *Clem. 1. de Regular.* cui in Constitutionibus Societa-
tis non reperitur derogatum, prout requiritur *cap. ex parte de Ca-
pell. Monach. Oldrad. cons. 326. n. 1.* Sed consequens est falsum, quia
ut habetur *par. 4. earumdem Constitutionum cap. 2. num. 1. Decla-
rat litt. F.* & Coadiutores, & professi possunt transire ad Collegia
ut ibi sint administratores, Concionatores, Lectores, Confessarij,
Visitatores, & similes. Ergo & Antecedens.

Quinto religiosi non sortiuntur naturam, & denominationem ex me-
dio, sed ex fine, ad quem tendunt, ut per *D. Thom. in 2. 2. q. 288.*
art. 1. in corpore. Io. Andr. in d. e. sanct. nu. 4. de regul. Card. in clem. 1.
n. 13. de elect. Ideòque Nouitij, licet non sint Monachi, aut regu-
lares cũ esse etu cum ad huc seculo non renunciauerint, tamen quia
tendunt ad professionem, appellantur religiosi. *cap. Religioso. §. qua-
uis autem de sens. excomm. lib. 6. Card. in d. clem. 1. nu. 2. & 5. Rebuff.*

in Prax. tit. de dispensat. cum regular. num. 23. et passim ex notatis per Hoffm. in cap. Statuimus. num. 4. vers. Nec. ablat. de regular. & per gloss. magnam in cap. Beneficium. post med. vers. I. et m. talis. eod. tit. lib. 6. ubi ait Nouitios esse religiosos licet reuocabiliter. Scholastici autem Societatis non sunt in Collegijs, ut ibi perpetuo maneat, sed tamquam in via ad Societatem professam: Collegia enim instituta sunt ut sint Seminarium Societatis, ut dicitur in pralleg. Bulla Iulij Tertij §. 10. Ideo enim admittuntur, ut postquam docti euaserint, in Societatem ingredi, & Professi, vel Coadiutores esse valeant. Ideoque elapso tempore probationis emittunt tria vota simplicia Pauperatis, Castitatis, & obedientiæ cum promissione ingrediendi Societatem: vel ut Coadiutores, vel ut professi, quemadmodum expressè disponitur in Constitutionibus Societatis cap. I. ex am. num. 10. Igitur scholastici quamuis in Collegijs habeant reditus in communi, tamen cum sint ibi quasi in via, & in fieri, ut inquit Suarez de Relig. tom. 4. lib. 1. c. 2. num. 17. merito ab ipsa Societate professa, & mendicante, ad quam tendunt, naturam, & denominationem assumunt, facit textus in l. si is qui quadrages. §. Quadam ibi, propriam formam, quæ ex consumptione contingit, ff. ad leg. Falc. & in l. stipulatio. §. opus ff. de oper. noui nunciat.

Sed obijcies, argumenta superius proposita concludunt quidem scholasticos esse mendicantes, sed non Collegia, quæ reditibus abundant. At respondetur hanc distinctionem ineptam esse, quia cum Canonibus, Conciliis, & Constitutiones Apostolicæ loquuntur de Religionibus, Ordinibus, Societatibus, Ecclesijs, Monasterijs, Domibus, & Collegijs Mendicantium, non accipiunt hæc nomina materialiter pro ædificijs, hoc enim modo non sunt materia capax sumendi victum ex mendicitate, quia sunt quid infensatum, quod quidem nec capere, nec velle potest, ut formaliter ait Bald. in Authen. Ingressu. num. 55. C. de Sacrosanct. eccles. & Authen. in Clem. Eximi. num. 6. vers. Præterea aut tu sumis ecclesiam pro ædificio. de verb. signific. Rursus non accipiunt hæc nomina prout sunt vnum non simpliciter, sed aggregatiue, quo sensu Collegium dicitur quasi in vnum collectum, & est Societas Collegiarum in vno honore postorum, quia hoc modo sunt persona ficta, seu representata. l. mortuo ff. de fideiusso. non autem persona vera, quæ est creaturæ rationalis indiuidua substantia, ut egregie declarant Io. Monach. & Io. Andr. in cap. Romana num. 9. de sent. excomm. lib. 6. Ac proinde religiones, Societates, & Collegia sic accepta cum sint quid abstractum, & præscindens à singularibus homini-

bus,

bus, proprie dici non possunt mendicantia, quia illis non conuenit Mendicantium diffinitio, de qua in *d. sup. vltic. §. Confirmatos. de relig. domo. lib. 6.* Impossibile enim est vt ad necessariam sustentationem victum sumant ex incerta mendicitate tanquam res inanimata, vt notat *Archid. in d. sup. cap. Romana numero. 5. versic. In vniuersitatem. O. A. d. consil. 6. in fin. versic. Punitur paupis. Federic. de sen. cons. 15. num. 6. versicodem modo. Turrecrem. in cap. in Criminalibus num. 1. 5. 7. 3.* & si hoc modo acciperentur, nulla religio esset mendicans in ecclesia Dei. Igitur Canoness & Concilia, & Bullæ necessario usurpant suprascripta nomina pro personis ipsis, quæ insinuat ordinem, vel Societatem, aut Collegium constituit, *glō. in d. si. in ver. non debetur, vers. quia Vniuersitas nihil aliud est nisi singuli homines, qui ibi sunt. ff. quod cuiusq. vniuers. nom. Bart. in his terminis in l. 1. n. 2. §. C. de Cōditi. & Procur. lib. 1. nam ipsi tantu potest ad sustentationē prebere victum incerta mendicatis ad præscriptum d. S. Confirmatos. Cum actus, & passionēs, quæ in facto consistunt, sint singulorum, non autem Collegij, vel Vniuersitatis, vt in his terminis dixerunt *Gemin. & Præp. in c. scilicet vir. 7. q. 1. relati à Philippo Probo in addit. ad Monach. in d. cap. Romana. num. 5. vers. Vt beniamus. de sen. excomm. lib. 6. & Siluest. in ver. Excommunicatio. 1. num. 10.* Ideoque Iura vt plurimum non dicunt ordinem mendicantem, sed ordinem mendicantium, scilicet personarum mendicantium, prout loquitur *text. in cap. Constitutionem, ibi, ad aliorum mendicantium ordines, de regul. lib. 6. Concilium Viennense in clem. 1. ibi, ad non mendicantium ordinem de elect. & Concilium Tridentinum in cap. ultimo sess. 25. de regular.* ibi, cuiuscumque ordinis mendicantium, vel non mendicantium.*

Præterea etiam si Collegij nomen sumatur ex vniuerso, & aggregatiue, prout est collectio plurium, tamen assumit naturam à personis, ex quibus componitur. Vnde si Collegiales sunt mendicantes, necesse est, vt & Collegium sit mendicans, vt optime per *Innoc. in cap. Dilecti. num. 9. de excess. Pralat. & Dec. in cap. ex litteris. num. 20 & 21. de Constit.*

Ac demum cum Collegia Societatis sint regularia, oportet vt sint alicuius regulæ, vel ordinis; & cum sint pars integralis, & membra Societatis, necesse est vt sint illius ordinis, cuius est Societas, alioquin daretur vnâ religio, & vnus ordo diuersorum ordinum, quod implicat contradictionem, & aliæ sequerentur absurditates, de quibus in præcedentibus fundamentis.

Sexto principaliter hanc controuersiam ni fallor aperte diremit Pius Quintus in Constit. 131. incipien. Dum indefessæ. Quod vt euiden-

dentius appareat, ante omnia observandum est eam Constitutio-
 nem esse declaratoriam. Quod patet, tum quia utitur verbo, de-
 claramus, quod æqualiter determinat omnia præcedentia, ex reg.
l. iam hoc iure. S. sed si. & ibi. Bart. num. 1. ff. de vulgar. Et quamvis
 adiciat etiam verbum, sancimus, nihilominus hoc idem facit, quia
 licet sit declaratio, tamen est Constitutio; unde perinde est ac si
 dixisset, declarando sancimus, ut bene per *Gemin. conf. 72. num. 1.
 vers. Contrarium*. Tum quia Constitutio dicit Societatem, & il-
 lius personas verè, & non fictè mendicantes fuisse, esse, & fore. si
 enim ante Bullam fuerunt verè mendicantes, Ergo Bulla nõ est no-
 ui iuris, seu privilegij inductiva, quia sic non respiceret præteritum
cap. ultimo de Constit. l. leges. la. 2. C. de legib. sed est iuris præexi-
 stentis declarativa, de cuius natura est, ut retrahatur ad princi-
 pium actus declarati, ut in *Aush. de fil. ante dotal. instrum. nat. S. 1.
 Dec. in d. caput. de Constit. num. 44. Rot. decif. 17. num. 32. par. 4. re-
 cent.* Declaratio enim novum ius non inducit, sed quod prius la-
 tebat, manifestat. *l. Heredes palam S. quod verò. & S. sed est notam
 ff. de testam. plenè Philipp. Prob. ad Monachan cap. Volentes. numer. 1.
 de privileg. lib. 6.* exemplo eius, qui excutit spicas, quia novam spe-
 ciem non facit, sed eam, quæ est, detegit. *next. in l. Ad d. S. Cum
 quis ff. de acquir. rer. domin. Fulgos. conf. 157. in fin. vers. Ad secundam.*
 Hoc posito, Constitutio Pij Quinti tria facit. Primò asserit Societa-
 tem esse mendicantem, quippe quæ ex eius instituto, & Constitu-
 tionibus Apostolica authoritate confirmatis, bona stabilia possi-
 dere nequit, sed incertis elemosynis, fideliumque largitionibus,
 & subventionibus vivit. Secundò dicit id posse aliquando in con-
 troverfiam deduci ex eo, quod dicta Societas Collegia habeat se-
 cum adiuncta. Tertiò ad huiusmodi ambiguitatem amputandam
 in §. 2. declarat per hæc formalia verba; Illa [idest Societatem,] &
 illius Præpositum, ac singulas personas Societatis huiusmodi ve-
 rè, & non fictè Mendicantes fuisse, esse, & fore &c. declaramus.

Quibus ita se habentibus, ostenditur apertissimè non tantum Profes-
 sos & Coadiutores, sed etiam scholasticos ex Bulla fuisse declara-
 tos verè, & naturaliter mendicantes.

Primum enim cum Pontifex hoc expresse declaraverit de Societa-
 re ipsa; utique hoc idem implicite declaravit etiam de scholasti-
 cis, quia cum ipsi sint pars integralis ipsius, & vna cum Professis,
 & Coadiutoribus vnum corpus Societatis constituent, ut osten-
 sum est supra in primo fundamento: vna, & eadem Societas non
 debet diuerso iure censi. *c. Cognovimus. 12. q. 2. c. Cum in tua, de
 decim. Gabr. d. conf. 28. num. 8. lib. 1.* Separatis enim partibus, ex
 quibus

quibus Vniuersitas Societatis constat, Vniuersitas Societatis intelligi non potest, dicitur *reus in l. eum qui ff. de usufructu*. Et eo magis, quia Collegia in Constitutione dicuntur adiuncta Societatis. Ergo sortiuntur naturam, & instituta Societatis, cui adiuncta sunt, *vt est textus clarus in cap. Recolentes. §. Ceterum. ibi, in Societatem ordinis assumptas. de Statu Monachor. & quæ religiosis adherent, religiose sunt. l. que religiosis. ff. de rei vendic. per quem textum Hostien. supradictus in §. fundamento firmavit etiã Nouitios esse religiofos.*

Præterea Pontifex non modo Societatem, sed etiam singulas illius personas declarauit esse mendicantes. Hæc autem verba includunt etiam scholasticos, cum negari non possit, quin & ipsi sint persone Societatis, vt similiter patet ex dictis supra in primo, & secundo fundamento. Præsertim ponderando illud vniuersale distributiuum, singulas, quod ex sui natura ita includit omnes, vt ne vnus quidem conseruatur exclusus. *cap. in causis. & ibi Io. Andr. num. 5. de elect.*

Ad hæc Constitutio in fine §. 1. loquitur de Societate prout habet adiuncta secundum Collegia. Ergo dum postea in §. 2. declarat illam esse Mendicantem, sub relatiuo, illam, intelligitur repetiisse nomen Societatis similiter prout habet Collegia adiuncta, *ad text. in l. pluribus in princ. ff. de verb. obligas. Rota decis. 687. num. 7. vers. De hoc decisio in relatiuum vbi dicitur par. 2. recedit.*

Eodem modo sequentia verba, personas Societatis huiusmodi, referri debent ad Societatem eo modo, quo de ipsa superius facta fuit mentio, cum dictio, huiusmodi, sit relatiua precedentium eius suis qualitatibus. *Barr. in l. si quis seruum. §. fin. n. 1. ff. deleg. 2. Alex. conf. 141. n. 1. vers. Ponderandum. lib. 2. sed superius facta fuit mentio societatis habentis adiuncta Collegia. Ergo verba illa, personas societatis huiusmodi, intelligi debent de personis Societatis itidem habentis adiuncta Collegia, & sic etiam de scholasticis, prout arguit Suarez de relig. lib. 4. cap. 4. num. 11. vers. Imo quod.*

Ad demum Pius Quintus præmisit sue intentionis esse amputare ambiguitatem, quæ oriri potuisset ex eo, quod Societas Collegia habeat secundum adiuncta. Hanc autem ambiguitatem planè non sustulisset, nisi declarasset Societatem vniuersam, & sic etiam Collegia, & Studentes esse mendicantes. Ergo conseruari debet sic declarasse, cum hæc fuerit illius mens, & causa finalis in præm. Constitutionis expressa, quæ regular totam dispositionem, *l. 1. ff. de oblig. par. & l. fin. ff. de hered. instit. Barr. in l. cum j. num. 4. ff. de reuoc. test.*

Non obstat si dicatur, Constitutio Pij Quinti in §. 2. vbi declarat Societatem esse Mendicantem, de Collegijs nullam fecit mentionem, sed de Præposito, & personis dumtaxat. Postea verò in §. seq. vbi declarauit Societatem potiri exemptionibus, ac priuilegijs mendicantium, meminit etiam de Collegijs. vnde ex hac distinctione argui potest, quod in prima parte noluerit Collegia comprehendere; nam si voluisset, expressisset, sicut expressit in 2. arg. l. vn. §. fin. autem ad deficiens C. de caduc. tollen. cum simit.

Id in quam non obstat; nam præter alias ponderationes confidero Pontificè in prima parte de domibus, & Collegijs non meminisse; quia ibi declarauit qui nam sint mendicantes. hoc autem conuenit personis tantum, quibus præbet victum incerta mendicatis, non autem domibus, & collegijs, quia domus incerta quid materiale, & insensatum, & Collegia non sunt persona vera, sed ficta, seu representata vt se ostensum est supra in 5. fundamento. *vers. sed obijcies.* At verò in 2. parte, vbi declarauit Societatem comprehendere in dispositionibus, & priuilegijs aliorum Mendicantium idè expressit etiam domus, & collegia, quia dispositiones, & priuilegia huiusmodi conueniunt etiam rebus; vt patet in priuilegijs realibus cap. 1. 2. & per tot. 25. q. 2. Alex. conf. 86. numer. 1. lib. 2. Vnde ex hac distinctione non licet arguere, vt Collegia non sint ordinis Mendicantium. Quod ex eo etiam conuincitur manifestè quia eadem distinctio fit in Domibus, de quibus constitutio meminit in secunda parte & non in prima. & tamen certum est domus huiusmodi esse mendicantes, vt constat ex dictis supra in princ. Ergo sicut argumentum à separatis hoc casu non procedit in domibus, ita nec in Collegijs, cum æqualis debeat esse determinatio. *d. l. Jam hoc Iure. ff. de vulgar.*

Quare etiam Collegia & Scholasticos Societatis IESV esse mendicantes iure optimo censuerunt non modo Authores, & Patres ipsius Societatis, vt Suar. loco sup. cit. & Thom. Sanchez super Decalog. to. 2. lib. 6. cap. 7. num. 117. circa med. vers. & non ad solus profesos, dicens ita Pium Quintum declarasse; Sed etiam authores extra Societatem, vt Hieron. Gabr. in præclaro conf. 28. n. 8. & seq. lib. 1. Menoch. d. conf. 1014. num. 14. Roderiq. in Summ. Hispan. par. 4. c. 113. num. 1. post med. & plures alij recentiores.

Ex prædictis patet solutio ad obiecta, nam etfi Collegia habeant redditus, & possessiones pro necessitatibus studentium; hinc tamen non sequitur, vt non sint ordinis mendicantium, vt ex dictis constat præcipuè in primo & secundo fundamento. Neq. aduersatur.

cap. xxviii d. cap. vii. §. Confirmatio. de relig. domib. lib. 6. in quo vis
tanta constituitur, quin potius in oppositum retorquetur, nam ite-
ritus inquit Mendicantes esse, quibus haberi reditus, vel posses-
siones regula interdicit. Regula autem non dicitur respectu alicui-
us membri, seu partis integralis, sed respectu totius Corporis Re-
ligionis, non enim dicitur regula huius, vel illius Conuentus, sed
dicitur Regula Predicatorum, & Regula Minorum, vt in *cap. Exiit.*
§. Regula. & Visa Minorum de verborum signif. lib. 6. & consequen-
ter licet aliquod membrum habeat reditus, non tamen propterea
dicitur ordinis non Mendicantis, si ordo ipse ex regula sit mendic-
ans. *vt per Gabr. d. consuet. num. 4. & seqq. lib. 1. Qui intellectus*
desumitur euidenter ex Constitutione Bonifacii Octaui, quæ
incipit *Ad consequendam gloriam in Bullar. tom. 1. pagin. 140.*
ubi Bonifacius in §. 9. Illos ordines, inquit, intelligi volumus
in paupertate fundatos, quibus ex regula, vel Constitutionibus
suis extra septa ecclesiarum, Monasteriorum, futurum, vel offi-
cinam eorum, & clausuram ipsorum nullas debent possessiones
habere. Quod si aliquis de ordinibus ipsis possessiones in aliqui-
bus membris suis habere, in alijs vero non habere noscatur, eum
quoad ordinationem, & habitationem huiusmodi predictis ordi-
nibus in paupertate fundatis annumerari volumus. hæc ibi. Ecce
ignem etiam membra, quæ habent possessiones, adnumerari in-
ter mendicantes, quando ex Regula, vel Constitutionibus, vnde
ipse possessiones habere prohibetur.

Quod comprobatur etiam exemplo; nam Infirmariæ, seu Valetudina-
ria Fratrum Minorum S. Francisci possunt habere annuus reditus
pro necessitatibus Infirmorum, neque id repugnat regulæ, secun-
dum opinionem, pro qua consuluit *Io. de Anan. cons. 30. nu. 3. vers.*
Circa tertium, vel ut a Roderiq. quaest. regul. tom. 2. quest. 127. art. 4.
& tamen nemo dixerit huiusmodi Infirmarias, & fratres Infirmos
in eis degentes non esse ordinis mendicantium. Ergo pariter hoc
dici non potest de Collegijs Societatis habentibus reditus in com-
muni pro necessitatibus studentium. Cum præsertim possidere
bona immobilia in cõmuni non repugnet naturæ, & essentia status
Mendicantiũ, vt probat *Lap. alleg. 4. n. 2. & seqq. vbi firmat Mendicantes*
esse, qui ex fundatione suæ regulæ nõ habent reditus ad con-
gruam sustentationem, licet de facto, vel ex priuilegio nõ mendicent;
quia etiam si ex priuilegio scripto sint habilitati ad possessiones,
non tamen sunt habilitati ad alia, nec liberati ab alijs iuribus, quæ
de Mendicantibus loquuntur, & sequuntur *Franc. in d. cap. unico,*
§. Confirmatos post num. 2. & num. 4. in fin. Felix. in hoc cap. in præ-
sentia

sentia numero 33. versiculo. Et prædictis adde Lapum. & probatur irrefragabiliter ex decreto Concilij Tridentini cap. 3. sess. 25. de Regular. vbi Mendicantes omnes, exceptis Capuccinis, & Minoribus de obseruantia S. Francisci, habitantur ad possidendum bona immobilia in communi, siue sint Mendicantes ex Constitutionibus, siue ex regula per priuilegium non mitigata, & nihilominus S. Synodus eos appellat Mendicantes, & pro mendicantibus ibi agnoscit, & à non mendicantibus distinguit in cap. ultimo, eiusdem sessionis,

Postremò non obstat, quod Scholares possint ius, & dominium bonorum suorum retinere ad tempus Generalis Præpositi iudicio præscribendum. Quoniam hoc obiectum percutit solummodo proprium in particulari, quod concernit religiosam paupertatem, non autem proprium in communi, quod concernit statum mendicitatis, de quo nunc est quæstio, vnde huiusmodi obiectum si quid probaret, hoc tantum probaret nempe Scholasticos Societatis non esse religiosos. Sed absit, vt hoc in controuersiam reuocemus, quia Greg. XIII. in Constitutione 89. incip. Ascendente Domino. non modo in §. 16. declarauit eiusmodi dominium non obesse religiosæ paupertati: sed etiam in §. 20. & 21. tria vota Scholasticorum simplicia substantialia esse, eaque emittentes veros religiosos esse decreuit: & amplius in §. 24. præcepit sub pena excommunicationis latæ sententiæ nequis hoc in controuersiam aut dubium reuocare quocunque modo præsumat.

Romæ, Ex Typographia R. Cam. Apostolicæ 1647.

Superiorum permissu.